

*Pulsio Boum et aliarum quaesturarum exercitium per Ungariam, Croatiam et Sclavoniam ac Portum Buccari, persolutis vectigalibus debitis, non impedienda.*

A r t i c u l u s 54.

Pulsio Boum, aliorumque quorumvis quaestum exercentium per Territoria Ungariae, Croatiae et Sclavoniae ac per portum Buccari, Indigenarum eorundem Regnorum solitis pensionibus persolutis, juxta Art. 43. novissimae Soproniensis Diaetae, \*) et desuper emanata mandata; sunt libera.

§. 1. Et, si quid in contrarium actum est; ut benigne sua Majestas mandet denuo ut illud tollatur et imposterum amplius non fiat, damnificatis vero justitia administretur; statutum est. \*\*)

FERDINANDI III. IMPER. & REGIS DECRETUM II. ANNI 1647. ARTIC. POST CORON.

*Comes Joannes Draskovith de Trakostyan etc. in Regni Palatinum eligitur.*

A r t i c u l u s 1.

Singularis Clementia Sacratissimae Caesarea Regiaeque Majestatis in hoc Regnum Ungariae, ex eo quoque elucescit; quod sua Sacratissima Majestas, de Palatino Regni, in locum Illustrissimi quondam Domini Comitis Nicolai Eszterházy de Galantha, alias Equitis Aurei Velleris et Regni Palatini, felicitis reminiscendae, surrogando, sublimandoque clementer intendere; Votisque fidelium suorum Regnicolarum benigne annuere; ex Illustrissimisque familiis, Viros genere et Virtute Nobilissimos, ex quorum numero delectus haberetur, in conspectum fidelium suorum Regnicolarum proponere, producereque gratiose dignata sit.

§. 1. Occurrit itaque ex delectorum Illustrissimorum Virorum numero, ante alios Illustrissimus Dominus Comes Joannes Draskovith de Trakostyan, alias Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus, qui tum ob natalitiorum suorum splendorem, tum ob praeclaras corporis animique dotes, raramque fidelitatem et benemerita erga suam Majestatem Caesaream et Regiam, totamque ejusdem Augustissimam Domum, Regnumque hoc Ungariae, ad supremum Regni, post suam Sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem, Palatinalis dignitatis honorem, ea autoritate et Jurisdictione, quam juramentum ejus, Regnique Statuta ac Conditio quoque Septima felicitis Inaugurationis Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis requirit, per Status et Ordines sublimari meruit.

*De Veteranorum militum Confiniariorum defectibus per Generales Capitaneos supplendis; et ad debitum numerum reducendis.*

A r t i c u l u s 24.

Quoniam vero animadvertunt universi Regnicolae, statum Confiniorum (in quo-

\*) Scilicet, An. 1625. ad quem locum, plura.

\*\*) Confirmatur cum limitatione; An. 1715. a. 117. An. 1741. a. 55.